Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2655

Quelle:
Copyright:

ad *Dom. 25. poſt Pentecoſten.* Sermo I. incipit: *Cum appropinquaret ihesus Jeroſolimam &c. M^t. XXI. Tempus quod hodie incipit et durat usque ad natiuitatem domini* &c. De Evangelio *Dom. 25. poſt Pent.* in fine breviter notatur, legi illud bis in anno, hac ſcilicet *Dom.* et *Dom. 4. Quadrag.* Id, quod etiam in *Miſſalibus* ante *Tridentinam* reſtitutionem impreſſis obſerves. Repetitionis rationem reddit Noſter, quia in eo Evang. et dicitur: *Erat autem proximum Paſcha*, et: *Quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Autor ergo *Antonius* O. P. Vide *Cod.* DCXCIV.

II. *fol.* 98. Absque titulo Opuſculum *Aſceticum* in illud: *Miſit rex Saul apparitores, ut caperent David.* I. *Reg.* 19. *Saul* diabolus eſt, *David* peccator, *Apparitorum* officio funguntur ſeptem Peccata vulgo capitalia. Ad ludum equeſtrem induci te putes, ita Αγωναρχης noſter arenam ornat. En *Superbiam, que ſedet ſuper dromedarium armata armis aureis ducens ſuper galeam pauonem in clipeo aquilam in tunica leonem in manu gladium latum.* Et ita Apparitores ceteri. Sed Deus totidem iis Virtutes objicit. Dabo Caſtitatem, *que procedit contra luxuriam et ſedet in vnicorni et habet in galea ſertum ex lilijs candidis croceis viridis et ducit in clipeo annulum depictum in tunica lupum* &c. *Apparitor* tertius e *Cod.* deperiit.

III. *fol.* 106. Legenda brevis de S. *Udalrico* Epiſcopo *Auguſtano.* Incipit: *Legitur in legenda beati Udal. quod fuit ortus de ſtirpe comitum Dilingenſium nomen patris Hubald matris vero Diperga ablactatus etiam fuit cum eſſet ebdomadarum XII.* &c. Videtur excerpta ex prolixiore illa, quam fiſtunt Hagiographi *Antverp.* ad *diem 4. Jul.* p. 97. poſt *Surium* et *Mabillon.* ſed ultima duo Miracula addita ſunt ex aliis Mſſ. quae pariter Viris illis ignota non fuere. Ad calcem: *Finis adeſt vere. pretium vult Scriptor habere.* Praetexta eſt Codici Membrana, in qua legitur *Diploma Urbani*, putem VI. quo injungitur Archiepiſcopo *Salzeburgen.* ut *Johanni* — — ejus Dioeceſ. Presbytero provideatur de beneficio proxime vacaturo, cujus Patroni eſſent Abbas et Conventus *Admontenſis* O. S. B. in *Stiria.* Datum eſt *Janue* — — —.

DCXCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 264
XV. Folior. nunc 317. f. currente calamo per duas columnas ſcriptus et Sec. XVI. ad *Wenceslaum Roſſam* ſ. *Roſſonem* Sacerdotem *Bohemicum* pertinens complectitur: I. *Themata Sermonum ſacrorum* a *Feſto Aſcenſionis* usque ad *Dom.* XXIII. *poſt Pentecoſten.* Initium: *Recumbentibus vndecim diſcipulis M^t vltimo. Legitur quod Aquila habet quatuor virtutes* &c.

II. *fol.* 26. ſequitur Libellus *de Sex Gradibus penitentie*, qui ſunt Contricio, Confeſſio, Jejunium, Oratio, Eleemoſyna et Satisfactio. Incipit: *Fecit Salomon thronum de ebore grandem qui habuit*

ſex